R 17 26
358

Digitized by the Internet Archive
in 2017 with funding from
Getty Research Institute

https://archive.org/details/paullimpaciaudic00paci_1


GRAECI ANAGLYPHI
INTERPRETATIO.

PAVLLI M. PACIAVDI
CLERICI REGVL. PRESBYTERI

DIATRIBE

QVA

GRAECI ANAGLYPHI
INTERPRETATIO TRADITVR.



ROMAE cIↃ. IↃ. CCLI.

EX TYPOGRAPHIA PALLADIS
EXCUDEBANT NICOLAUS ET MARCUS PALEARINI
EX PRAESIDUM PERMISSU.

SIT . TIBI . BENE
QVI . LEGIS .

VIRO EGREGIO
NICOLAO ODDO
JACOBI S. R. E. CARDINALIS
FRATRIS FILIO
PROVINCIAE AEMILIAE PROLEGATO

PAVLLVS M. PACIAVDIVS.

SAEPE numero admirari ſoleo, ODDE Clariſſime, cum ceterarum rerum tuarum excellentem perfectamque ſapientiam, tum vel maxime quod aliis ad percipiendas, excolendaſque elegantiores diſciplinas praeſidio fueris, ac de eorum ſtudiis juvandis, vix ſuſcepta Provinciae procuratione, etiam, atque etiam cogitaveris. Te virum bono rei litterariae Aemiliae datum teſtantur Academiae Ravennae, ad veterem perpetuamque urbis illius gloriam amplificandam reſtitutae [a]. Teſtantur frequentes in aedibus tuis exercitationes artium

a Ravennatium gloriam veterem perpetuamque in re litteraria quam merito appellem, percipere quivis poterit ex libro: *Diſſertazione Epiſtolare ſulla Letteratura Ravennate. Ravenna* 1749. Auctor eſt Petrus Paullus Ginnanius Abbas Caſſinenſis, Vir litteris doctrinaque praeſtans.

artium omnium, quae in veri inveſtigatione verſantur, ut Muſae omnes ſedem fortunarum ſuarum apud Te collocaſſe videantur; atque omnium ſermone celebrentur concertationes doctorum virorum, quae Te coram habentur, in quibus Hiſtoria Sacrae vetuſtatis nuncia, Philoſophia donum & inventum Deorum, Poetica, quae a Tullio praeclara vitae emendatrix dicitur, ſibi invicem feliciterque ſuccedunt. Teſtantur denique Carmina numerorum, ac vocum conſtructione ornatiſſima, quae coeleſti quodam mentis inſtinctu fundis, ut Te illum praedicent omnes

Cui Phoebus, caſtaeque novem arriſere ſorores.

Atque ex hoc uno ſapientiae amore, qui in Te adeo aſſiduus & vehemens eſt, ardentiſſimum illud veritatis inveniendae ſtudium proficiſcitur, ut de quavis re inquiras curioſius & acute diſputes; naturae Φαινόμενα acrius contempleris; quicquid in antiquis monumentis deliteſcit, tibi poſtules explicari. Memini ego recte quum Tu iſthic, interrogando & percunctando, reſponſiones ex me elicere ſolebas de graviſſimis Rei Antiquariae quaeſtionibus; ac illud potiſſimum memoria teneo, ex quo nunc ſcribendi occaſionem nactus ſum. Attuleram ego per eos dies, Venetiis diſcedens, ſchema veteris Anaglyphi, cujus archetypum videram illic apud Petrum Baſaleam Bibliopolam. Quumque tibi conſpiciendum praebuiſſem, ſciſcitatus es cupidiſſime, quorſum illae MANUS huic Tumulo adjectae? Factum id ajebam ego ex praeſcripto theologiae ethnicorum, quibus licebat Numina ſua diris precationibus defigere, ſi mors acerba ac praematura homines illis propinquitate conjunctos vita expelleret, communique luce privaret: quam quidem effrenam in Deos querimoniam hoc uno ſymbolo exprimebant. His Te facile aſſentiri animadverti; ſed quibus argumentis dicto fidem facerem adhuc ex me quaerere videbare: tandem, ut rem univerſam abs ſui exordio repeterem atque explicarem demandaſti. Id per epiſtolas, quum primum, confirmata paullulum valetudine, liceret me diligentiſſime facturum pollicitus ſum; nunc quae ſancte obſervaturum recepi, hac una Diatribe exſequendum perficiendumque aggredior.

Sane

Sane ea primum ſuſpicio mentem ſubjt ideo MANUS illas Titulo fuiſſe adjectas, vel ut viatores, illis conſpectis, pacem Demetrio adprecarentur, vel ut monerentur Heredem, qui aram ſepulcralem dedicarat, jugiter rogare ut oſſa Demetrii molliter cubarent, terraque eſſet ſuper oſſa levis. Atque id fueram ſuſpicatus, quod veteres manibus, brachiiſque ad coelum protenſis ſe Deos obteſtari, eorumque opem prece ſupplici exorare ſignificarent. Praeſto mihi multa ſunt, quae in exemplum proponam. Ariſtoteles, vel quiſquis eſt auctor libri *de Mundo*: *Πάντες οἱ ἄνθρωποι ἀνατέινομεν τὰς χεῖρας ἐις τὸν ὐρανὸν ἐυχὰς ποιὐμενοι. Omnes homines manus in coelum inter precandum attollimus* [a]. Factitatum id jam ab heroicis uſque temporibus docet non ſemel Homerus [b]; hinc Helena in oratione ad Junonem, quam Euripides litteris, poſteritatique mandavit, in hunc modum ſupplicat [c]:

> *Ἀιτὖμεθ' ὀρθὰς ὠλένας πρὸς ὐρανὸν*
> *Ῥιπτὖνθ' ἵν' ὀικεῖς ἀςέρων ποικίλματα.*
> *Precamur recta brachia ad coelum*
> *Jactantes, ubi habitas in varia ſede aſtrorum.*

Quod equidem receptum more fuiſſe, praeter alia, demonſtrant Nummi græci aliquot maximi moduli, quorum mihi praeſens imago atque deſcriptio. Duo ad Macrinum pertinent; Epigraphe primi numiſmatis: ΒΩΤΑ ΕΦΕϹΙΩΝ, alteri adjecta eſt inſcriptio: ΕΦΕϹΙΩΝ ΠΡΩΤΩΝ ΑϹΙΑϹ; tertium autem cuſum eſt a Colophoniis in honorem Treboniani Galli nomine totius Ioniae, ut ex lemmate adparet: ΚΟΛΟΦΩΝΙΩΝ ΚΩΙΝΟΝ ΙΩΝΩΝ. Porro poſtica horum nummorum pars ſacrificium exhibet conſpiciendum. Inibi itaque victima labe carens ante aram ſiſtitur, & pura in veſte ſacerdos mactat intonſas bidentes & intacto de grege juvencos. Circumquaque adſtat turba, quae vota concipit pro ſalute Imperatorum, & totius domus auguſtae; at turba haec ΕΦΕϹΙΩΝ ϗ ΚΟΛΟΦΩΝΙΩΝ, dum ſuperos precibus ambit, manus ad coelum tendit, quaſi eos de ſede evocans [d] ad opem ferendam. Hanc ipſam precandi ratio-

a *Cap.* VI.
b Ἰλιαδ. γ. *& alibi.*
c *In Helena*
d Quum DI præſides ac tutelares in Urbium oppugnationibus evocarentur, non ſola manuum ele-

rationem Romanos retinuiſſe, ſi exemplis probarem, uterer in re non dubia teſtibus non neceſſariis [a].

Id etiam mecum ipſe aliquando cogitabam num hae Manus praemonerent Demetrii cum Uxore, quae ei forte adſtat, Connubium, fidemque inter eos vel poſt mortem duraturam; nam quum binas manus in anaglypho adverterem, ſciremque apud Graecos aeque ac Romanos ſervatum hunc in nuptiis ritum, ut *in manum convenirent*, ferme ea arridebat opinatio, quam deinde antiquis monumentis confirmare me poſſe non deſpondebam.


elevatione, ſed ritibus aliis bene multis, caeremoniis, atque carminibus inde migrare veluti cogebantur; de quibus copioſe ornateque ſcripſit C. I. Anſaldius *De* DIs *Multarum gentium Romam evocatis Brixiæ* 1743.

a De Chriſtianis nihil luculentius. Ut pauciſſima eloquar, hoc corporis ſtatu Chriſtianos orare conſueviſſe, indicio potiſſimum ſunt monumenta graeca complura; v. c. Imago Conſtantini M; quam ipſe in nummis & in Palatio exprimi juſſerat, χεῖρε δ' ἐκτεταμένος ἐυχομένȣ σχήματι. *manibus expanſis precantis in modum*, ut ait Euſebius *de Vit. Conſt. lib.* IV *cap.* XV. Sardonyx bicolor cui Beatiſſimae Deiparae Protome exſcalpta eſt, quam EQ. FR. Victorius ex doctrina & pietate clarus commentariolo illuſtravit. *Romae* 1732. Dyptica eburnea Bibliothecae Barberinae quae opportune evulgavit homo praeclara eruditione A. F. Vezzoſi (*Præf. Tom.* V. *Operum* V. C. *Thomaſii*). Crux argentea perantiqua Eccleſiae Ravennatis, de qua egi in Diatribe edita Florentiae 1749. (*Symbol. Litterar. Tom.* III.) Nummi aliquot Comnenorum Patriarcharum Aquilejenſium &c. Placet nunc exſcribere verba Joannis Chiffetii in Hiſtorica declaratione Veteris imaginis Sanctiſſimae Deiparae in Jaſpide viridi, quam in lucem emiſit An. 1661. *Sanctiſſima Deipara palmas extendit habitu* Panmacariſtico, *ſtatu Beatorum. Nam ut expanſio manuum in hac mortali vita, ſignum eſt depromendae ſupplicationi accommodum, in divorum tamen imaginibus Beatitudinis ſtatum notat* ..... *Inter orationum formas eſt etiam* Doxologia, *ſeu glorificatio & perpetua laudatio Dei, quod vere munus Beatorum*. Etiam marmora Chriſtiana huic mori inſtitutoque confirmando afferri poſſent. Duo apposite dabimus, quae nuper in Muſeo Tuſculano Viri Principis Domini Cardinalis Paſſionei ipſi exſcripſimus, dum ingentem illam lapidum veterum collectionem, in illo amoeno, pioque ſeceſſu, recenſeremus.



bam [a]. Ac quamvis manus minime copulatas, ſed alteram ab altera avulſam, atque ſejunctam, & utramque ſiniſtram viderem, attamen id nulla ex parte huic conjecturae officere poſſe adarbitrabar. Equidem non repugno fuiſſe hoc in more poſitum, ut FIDES, CONCORDIA, AMICITIA, PIETAS, PAX duabus invicem implexis junctiſque manibus exprimeretur. Sive nummos hujus rei gratia percuſſos [b], ſive hoſpitales Teſſeras [c] repetere inſtituam, hoc unum plerumque in oculos incurrit

B ſym-



Caeterum hoc ſic habeto, talem precandi morem abs Hebraeis ad alias nationes manaſſe.

a Collegit ea omnia Chriſtianus Vlricus Grupen: *Tractatio de Vxore Romana cum ea, quae in manum convenit farre, coemptione, & uſu, tum illa, quae Vxor tantummodo habebatur. Hannoverae* 1727.

b Per multa extant numiſmata in quibus ad haec omnia ſignificanda duae manus invicem commiſſae viſuntur. Galbae, quod protulit Liebe in *Gotha Numaria pag.* 422. Vitelii additis verbis FIDES EXERCITVVM: Incertae Familiae PAX. P. R. Marii vel Mamurii CONCORDIA MILITVM: AEmiliani CONCORDIA AVGG., quos tamen nummos ad Q. Herennium atque Hoſtilianum referendos cenſuit Vaillantius, & culpa monetariorum factum putat, ut AEmiliani caput, qui ſolus regnavit, cuderetur. Bandurius e contra arbitratur ad AEmilianum ejuſque uxorem Marinianam pertinere. Conſule Epiſtolam in Nummum graece loquentem *Corneliae Superae*, quam nuperrime edidit Cl. Comes *di Pianura*. Crebrius hoc emblema in nummis Pupieni, ejuſque Collegae Balbini, qui communi voluntate imperium geſſere: CARITAS MVTVA AVGG. PIETAS MVTVA AVGG. &c.


c Id ipſum demonſtrant Teſſerae aliquot, quarum duas commemorabo. Alteram dedit illuſtris Victorius in egregia Diſſertatione Glyptographica *cap.* XXV. *pag.* 90. *Romae* 1739. Porro in ea manus invicem junctae cum lemmate ΕΥΤΥΧΩΣ ΟΜΟΝΟΙΑ *feliciter Concordia*. Alteram Lilybei repertam proferemus ex Panormitano Cimeliarchio Monachorum Caſſinenſium. Eburneae huic Teſſerae dexteras commiſſas referenti graphio caelata graeca inſcriptio.

ΙΜΙΑΧΙΜΙΛΧΩΝΟC
ΙΝΙΒΑΛΟCΧΛΩΡΟCΞΕΝΙΑΝ
ΕΠΟΗCΑΤΟΠΡΟCΛΥCΩΝ
ΔΙΟΓΝΗΤΟΥ ΚΑΙ ΤΩΝ ΝΕΓΓΟΝΩΝ

Quae ſic facile verti poteſt. *Imilchon Imilchonis* (filius) *Inibalis* (nepos) *Chlorus hoſpitium fecit cum Lyſone Diogneti* (filio) *& poſteris* (ejus). Inuſitata haud eſt apud antiquos haec dictio. Cicero pro Cornelio Balbo: *Hoſpitium multis annis ante hoc tempus cum L. Cornelio Gaditano feciſſe publice dico*. Papinianus L. Poſtliminii D. de capt. & poſtliminio rev. ait: *Nam ſi cum gente aliqua neque amicitiam, neque hoſpitium, neque foedus amicitiae cauſſa factum habebimus, hi hoſtes quidem non ſunt*.

ſymbolum, commiſſaque dextera dextræ. Sed quia manus ita ſeparatas erectaſque, quemadmodum in noſtro anaglypho, non raro conſpicimus in perticis Signorum Militarium, eaeque Fidem & Concordiam Militum, vel foederis hoſpitiique pignus a Civitatibus ad exercitus miſſum ſignificent [a]; quid ego ni aſſeram ſuperſtitem Demetrio Vxorem ſe adhuc in fide manſuram hoc ſymbolo teſtificari, defunctique mariti ſepulcrum conſpecturis declarare? Cetera, quæ de manibus in nummis inſculptis

a Exemplo ſint nummi duo: primus Germanici in Colonia Caeſaraugusta, Liciniano & Germano Duumviris, percuſſus; alter Auguſti incertae Vrbis, ubi Principis illius imagini addita manus *in amicitiae, fideique procul dubio ſymbolum* (*Spanhemius de* V. *&* P. *Num. Diſſertat.* III.)





Aliena huc non comportabo ſi de duobus hiſce nummis paucula loquar. Vt a primo exordiar, in adverſa omnino eſt opinione Joh. Gottofredus Lachemacherus, (*Obſervationum Philologicarum par.* IV. *Obſ.*1. *Helmeſtadii* 1730.) & Manus in perticis Signorum militarium alio prorſus referri autumat. *Exiſtimarem ſane*, inquit, *ſignificare ea re Romanos voluiſſe, quod dextera extenſa ſignum ferri oporteat, niſi vero videatur ſimilius, quemadmodum & Jac. Lydius cenſuit* (Syntag. Sac. de re militari) *admonitos eo ipſo fuiſſe milites, ut manuum opera ſtrenua fortiterque uterentur.* Sed haec per ſe magnam habent levitatem quin refutemus. De nummo autem Auguſti, in quo nunc, inſtituti mei non oblitus, nil niſi dexteram illam attendo animoque contemplor, ſic ſtatuit Joh. Triſtanus (*Commentaires Hiſtoriques Tom.* I.) *Quant a cette dextre elle ſemble ſervir de marque d' une promeſſe de foy invariable faite a Auguſte par quelque Peuple, qui luy fait cette monnoye. Car elle n'eſt pas de fabrique Romaine, & tien plus de l'Eſpagnole, que d' autre lieu. La dextre, comme chacun ſçait, en eſt le ſymbole, eſtant la cotume d' en envoyer à ceux, à qui on voluoit en donner aſſurance. C'eſt ce que Dion Chryſoſtome en ſon Oraiſon* LXXV *nous fait entendre en peu de mots.* Τὶ δὲ ὁ Βασιλεὺς οὐχὶ Βασιλείους θεοὺς, καὶ τὴν δεξιὰν ἀπέστειλε. Quid vero Rex: nonne etiam Regios Deos, dextramque ſuam miſerat. *Voyez Themiſtius Orat.* III. *de l' amitiè.* Vere Hiſpanicum eſſe ejuſmodi nummum, quin conſultum adirem vel Laſtanoſa *Las Medallas Deſconoſcidas*, vel Mahudel *Diſſertation Hiſtorique ſur les Monnoyes antiques d' Eſpagne*, evincit archetypus ipſe, quem habeo prae manibus dum haec ſcribo: litteras procul dubio hiſpanienſes praeſefert averſae partis inſcriptio, quam etſi ab aliis praviter explicari intelligam, hic expendere lubens omitto, quoniam non id agitur hoc tempore, ne mihi in culpa ponant eruditi longius dicendo vagari.

tis efferri ſolent, etſi cogitatione percurrerem, huc minime advocari poſſe intelligebam[a].

Verum licet haec aliquanto credibilia videri poſſent, non tamen ita firma ac veroſimilia putabam, ut aſſenſu comprobarem, & in his omnino acquieſcerem. Quo fit, ut ab ea non decedam ſententia, manus illas in Tumulo Demetrii lamentationem lugubrem, fletumque moerentem indicare ob ejus vitae exitum non quotidianum & vulgarem, ſed celerem & intempeſtivum. Atque in hanc mentem nos potiſſimum impulit attenta quaedam eorum lapidum ſepulcralium contemplatio, quibus hoc ipſum exſculptum emblema: nullus enim eſt, meo quidem animo, qui in toto hoc argumentorum genere acutius, atque acrius judicet, quam qui monumenta monumentis conferat. Poſitum ſit igitur in primis ethnicos fas habuiſſe querimonias in Deos jacere, & de eorum providentia, de infortuniis, de adverſa valetudine, ac morte triſti oratione delamentari: hinc imprecationes & dirae, quibus Numina ſua ſaevitiei ac malevolentiae inſimulabant; quas, ſi voce enunciare minime poſſent, elatis porrectiſque in coelum manibus, praeſtare conſueverunt. En, ODDE ſpectatiſſime, ut modo ex antiquis marmoribus rem confirmo. Comperta profecto, atque in omnium oculis poſita Romae ea inſcriptio[b], quam tibi ſiſto contuendam.

a In quibuſdam nummis Halenſibus, quos edidit Chriſtianus Selegelius in libro *De Nummis antiquis Gothanis Francofurti* 1720. II. *edit.*, viſitur perſaepe hinc *Manus*, illinc *Crux*. Martinus Cruſius Annalium Svevicorum Part.III, lib. IX. in hunc modum explicat. *Cum primum Hala Imperio Romano attributa eſſet, duorum erant ibi Senatorum vel Judicum genera. Vnum ex nobilibus & Patriciis, quorum uſus erat tantum in magnis Reip. negotiis .... Sigillum eorum* MANVS *erat, ut qui ſuperiorem moderandi poteſtatem haberent ...... Alter Senatus, vel judicum inferioris dignitatis ex plebejo ordine. Eorum munus erat cognoſcere de civilibus cauſis, ut hereditate, aere alieno, conviciis. In horum ſigillo* CRVX *erat, ut qui ſub poteſtate ſuperiorum erant.* Nec infrequens Dextera in Nummis Ital cenſibus medii aevi; atque omnia, quae huic ſymbolo ſubeſſe poſſunt, eleganti oratione perſecutus eſt Joſeph Comes Garampius Archivo Vaticano Praefectus, quem ego parem ſummis Philologis judico, in libro *De Nummo Benedicti* III, *Cap.* V, §. XII, *& ſeq. Romae* 1749. Eſt nimirum nummus hujuſce Pontificis, in quo manus porrecta & explicata. *Sacramentum aliquod fidelitatis adſignari* exiſtimat Cl. Garampius, *quod Pop. Romanus Pontifici aut Imperatori, vel Pontifex, & Imperator ſibi invicem, aut Populo Romano praeſtiterint*. Multa ille egregie diſputat huic ſententiae convenientia.

b Adhuc ſuperſunt Romae hodie dum Porcariorum Aedes in angiportu vulgo: *a S. Giovannino della Pigna*, atque exſculpta marmore Scrofa aperte deſignantur. Ibi in anguſtae domus cavaedio parieti inhaeret hoc *Procopes* epithaphium. Leone X. Pontificatum Maximum gerente edidit Jacobus Mazochius in ſua met officina inter *Epigrammata Antiquae Vrbis* M.D XXI. *Tit. De Regione Pineae. In Domo D. Julii de Porca-*

PRO  COPE. MA  NVS
LE BO . CON TRA
DE VM . QVI
ME. INNO CEN
TEM SVSTV LIT
QVAE . VIXIT
ANN. XX
POS. PROC LVS .

Hanc Procopes querimoniam contra Deum eo quod in ipſo juventae flore illum e vivis ſuſtulerit repetit Mater quaedam moeſtiſſima in epitaphio ligata oratione puellae nomine PIERIAE. Vetus hoc elegantiſſimum marmor reperit ad Liburnicum Sinum vir in artium liberaliſſimis ſtudiis apprime verſatus Comes Rinaldus Carlius : aliquot tantum hujus inſcriptionis carmina recenſebimus , quae hic percommode cadunt [a] . In obitu itaque Pieriae filiae ſuae dulciſſimae

INFELIX. MATER. TOLLIT. AD. ASTRA MANVS
INCVSATQVE. DEOS. INCVSAT. DENIQVE. PARCAS [b] .

At cur queſtum edit ? Cur numina incuſat , dupliceſque tendit ad

Porcarii . Plures alii poſt Mazochium evulgarunt , Gruterus (DCCCXX. = 1 =) qui Smethio acceptam refert ; Mabillonius in Itinere Italico (*pag.* 77) Muratorius in Novo Theſauro [MCCCCXCII. 9.] . Eſt enim apud me codex ita inſcriptus . *Epitaphia antiquiſſima reperta ſunt in alma urbe & in multis aliis partibus per me domnum Baptiſtam Petri Zenobii de Brunelleſchis de Florentia die decimaquarta ſeptembris* 1511. *in Vrbe* ; atque in eo comperi hunc ipſum lapidem cum adnotatione : *Romae in domo Ju. Porcii Civ. Rom.* Sed inquies , quo haec omnia ? nempe ut pateſcat quam turpiter hallucinetur Scarfoius , qui in epiſtola quadam Venetiis edita , (*pag.* 82.) hoc epigramma velut ἀνέκδοτον ſibi a Brutiis miſſum depromit ; in quo aliquid magni praeſtare ſibi viſus eſt , illud *Pos Proclus* ita corrigens *Proſprocius* : mira hominis diligentia & peritia ! quid ſi *Proclus* , notiſſimum in lapidibus nomen , *Poſuerit* ?

a Integrum epigramma ſciens reticeo, ne hanc Cl. Carlio provinciam praeripiam , qui ampliſſimam Antiquitatum Illyricarum Collectionem litterariis formis cudendam quamprimum tradet. Specimen dedit jam ab anno MDCCXLIII , quum juris publici fecit : *Ragionamento delle Antichità di Capo d' Iſtria* (*Raccolta di Opuſcoli Tom.* XXVIII.) ; anno vero mox revoluto , eo libro quo univerſas menſiones , germanumque proſpectum Amphiteatri Polani reſtituit .

b Petrus Zornius homo multae ſcriptionis edidit inter *Miſcellanea Lipſienſia Nova Vol.* III. *Part.* 1. 1744. Fabulam Parcarum ex antiquitatibus orientalibus illuſtratam , recteque obſervat adinveniri in vetuſtis marmoribus CRVDELES PARCAS : INFESTAE PARCAE : *Ethnicos quidem decebat invehi in mortem , accuſare Parcas , Solem , qui adſpexit , & paſſus eſt ; in Lunam , & Diem , qui non omnia obduxit nebulis* . Petrus Corracus *de conficiendis Epigrammatis cap.* 19.

ad ſidera palmas ? propterea quod ita orbata ſit Pieria quae

. . . . . VIGINTI. NONDVM. COMPLEVERAT. ANNOS. [a]

Progredior ad reliqua & duo litterata ſaxa ſubnecto in tenebricoſo & fornicato cubiculo ſecus Viam Appiam quondam detecta .



D. M. S.
CALLISTO FILIO
PARENTES



QVISQVIS EI LAESIT
AVT NOCVIT SEVERAE
IMMERENTI DOMINE
SOL TIBI COMMENDO
TV INDICES EIVS MORTEM [b]

Vides hic parentes ingemiſcere & coelo manus protendere non alia ſane de cauſſa, quam quod *Calliſtum*, & *Severam* adhuc infantes & pupulos

Abſtulit atra dies, & funere merſit acerbo.

Habes poſtremo iſthic Ravennae in Muſeo Epiſcopii epigramma puero Marco Aurelio Theodoto dedicatum, cujus formam ſaepe vidimus, & adhuc animo cernimus. Extinctus eſt quum vix, aut ne vix ſapere coepit puer Theodotus: heu! filio deſideratiſſimo, merito ejus amiſſione adflicti atque deſolati, poſuere parentes [c].

Haec,

a Evulgavit F. Ficoronius in libro: *La Bolla d' oro de' Fanciulli pag.* 39.

b Scalpta deſuper utrique Inſcriptioni Imago Solis; atque ex his quae paullo ante diximus, corrigendum fortaſſe in extrema lineola VT. VINDICES.

c Dedit primo Montfauconius *in Diario Italico cap.* XVII. *Paris* 1702. Extat etiam inter Diſſertationes Academiae Cortonenſis *Tomo* II. *Diſſert.* VII., iterumque typis mandavit A. S. Mazochius *de Dedicatione ſub Aſcia Neap.* 1739., nuperque Eques Bonamicius Architectus Ariminenſis in Deſcriptione Aedis Maximae Ravennatis.

D.  M.

M. AVRELIO. THEO
DOT. FIL. Q. V. AN
IIII. M. AVR THEO
DOT. N. ATTIA. N *ſic*
COP. ET. POPPEI
SECVNDIN. MAT.
PARENT. FIL. POS.



Haec, quae ubique Romanorum natio obſervaſſe videtur, ſimili ferme ratione praeſtitere Etruſci religione, ut ait Tullius, imbuti ſtudioſius. Porro in ſepulcralibus Etruſcorum Vrnis, quae gentis illius luctum in funere propinquorum affabre ſculptum exhibent, homines cognato morienti adſtantes, exerto ſublatoque brachio, conceptum dolorem teſtantur [a]. Sed ego qui graecum monumentum mihi ſumo interpretandum externa tantumodo exempla ponam, nihilque a Graecis mutuabor? Venio ad eam confirmationem, quae huic noſtrae ſententiae fidem & auctoritatem adjungat. Eſt apud Gruterum [b] graecum epigramma, quod ille ex ſchedis Busbequii exſcripſit, in quo quia menda aliquot deprehendere ſibi viſus eſt, veriori lectioni cenſuit reſtituendum; nos autem a viro docto quondam latine redditum damus.

Nomen.

a V. *Muſei Guarnacci Monumenta illuſtrata* (*cap.* XIII. *Florentiae* 1744.) a clariſſimo & docto Viro A. F. Gorio, quem honoris, & amicitiae cauſſa ubique nominatum volumus.

b MCXXIX. 1.




ΟΥΝΟ
ΜΑ ΣΟΙ ΚΑΠΙΤ ΩΛΙΣ
ΘΕΟΣ Ε ΝΕΡΓΟ Ν Δ ΕΤΙ ΕΠΕ
ΤΑΙ ΠΑΡΕ ΧΩΝ Τ ΑΣ ΝΟΥ
ΧΑΡΙΤΑΣ ΦΑΙΝΙΠΠΟΣ ΚΑΙ ΚΑΠΙΤΩΝ
ΚΑΙ ΜΑΡΚΕΛΛΟΣ ΠΑΙΔΕΣ ΟΡΦΑΝΟΙ ΟΥΔ
ΡΟΜΕΝΟΙ ΓΛΥΚΥΤΑΤΗ ΜΝΗΜΗΣ ΧΑΡΙΝ.

Nomen. tibi. Capitolis. (eſt) *Deus.* (ille) *Inſeſſor adhuc* (te) *comitatur . praebens. animae . delicias . Phaenippus . & Capiton . & . Marcellus . Filii . orbi . lugentes .* (Matri) *dulciſſimae .* (poſuerunt) . *memoriae . cauſſa* [a] . At quis ille Deus inſeſſor vel inſidens ? niſi mea me fallit opinio . Genius domeſticus & familiaris Capitolidis . Notiſſimam profecto rem auribus tuis inculcabo , ſi de Geniorum natura atque officio multis verbis differam . Suum unicuique hominum tributum , ubi primum in vitam introiret , ſenſerunt veteres , vel , ut ſcribit Cenſorinus , *oracula & auctores*

a Eſt in hoc marmore levis aliqua litterarum permutatio , & tranſpoſitio , ut ἐνεργον pro ἐνεργων ; ſed permutationes litterarum , quae vel figurae ſimilitudine, vel ſoni affinitate facile confundi poſſunt , dicendo haud proſequar : exemplis plena eſt antiquitas , deque his lapidicidarum erratis in Graecis inſcriptionibus admonuere Prideaux in *Arundelianis* , Chiſull in *Lapide Sigaeo* , Tailor in *Marmore Saduicenſi* . O loco Ω in nummis perfrequenter . V. Havercampium *de Veteri & varia litterarum apud Graecos ſcriptura* (*Cap.* XVIII. *Lugd. Batavor.* 1736.) Bianconum *de Antiquis litteris Hebraeorum & Graecor.* (*Bononiae* 1748.) Sic etiam Scalptoris oſcitantia irrepſit τὸ ουδρόμενοι , quod ſcribendum erat ὀδυρόμενοι . Tandem illud monebimus Heſichium , & Philoxenum χάριτας pro voluptatibus & deliciis , per tropum , aliquandò accepiſſe . Μνήμης χάριν uſitata , pervulgataque formula , de qua nihil attinet plura congerere . Lubet tamen Graeca Marmora duo hic proferre ex Muſeo Eminentiſſimi Paſſionei , viri , ut in Paleographia inquit Montfauconius , graecarum litterarum amantiſſimi .

Θ K	*D. M.*	Θ K	*D. M*
ΚΛΕΙΩ	*Clio*	ΣΟΚΡΑΤΗΣ	*Socrates*
ΕΥΦΡΑΤΗ	*Eufrati*	ΚΑΙ ΔΙΟΝΥΣΙΣ	*& Dionyſius*
ΣΥΜΒΙΩ.	*Coniugi*	ΑΡΤΕΜΙΔΩΡΩ *ſic*	*Artemidoro*
ΕΠΟΙΗΣΕ	*Fecit*	ΑΔΕΛΦΩ ΕΠΙΖΕ	*Fratri fecerunt*
ΜΝΗΜΗΣ	*Memoriae*	ΝΗΣ ΜΝΗΜΗΣ ΧΑΡΙΝ	*Memoriae Cauſſa .*
ΧΑΡΙΝ	*Cauſſa .*	(*) Corrige ΤΗΣ	

Illud autem ΕΠΙΖΕ notam compendiariam eſſe puto pro ἐποίησαν , editis jam *Siglis* addendam .

res docuere praeclari [a]. Sed quia ex recepta Platonicorum Theologia Genii, quos δαίμονας illi appellarunt, hominibus cuſtodiendis tutandiſque addicti in penitiſſima mentis parte diverſari credebantur, ita ut numquam oculis cerni poſſent, licet actorum omnium ac cogitationum teſtes eſſent, hinc Capitolidi *inſidere* congruenter apteque dicitur [b]. Neque vero Genius ab intima hominis ſocietate disjungebatur aut ſecedebat quum hic mortalitatem expleret vitamque finiret: multa ſupererant munia a Genio poſt mortem obeunda, quae recenſet Plato in Phaedone [c], nempe animam excipiebat, ut ad piorum concilium in tranquilliſſimis Elyſiorum campis deduceret, in quo loco gratiſſimis perfrueretur deliciis.

At quia in hoc marmore errata quaedam, ſive ſcalptorum vitio, ſive amanuenſium indiligentia, irrepſiſſe, & multa adhuc deſiderari in Gruteriana emendatione manifeſte perſpiciebam, de recta ejuſdem lectione in conſilium adhibui doctiſſimum Alexium Symmachum Mazochium, quem tanti facio in graecis litteris, ut ſi quicquam ab eo dicitur, ferme ex oraculo dici putem. Sententiam hanc meam de *Manibus* Titulis ſepulcralibus adjectis ſummopere ille comprobavit ratamque habuit, idemque de Grutero conſenſit, nempe illum labi dum inſcriptioni reſtituendae allaborat. Quare praeclarum mihi viſum eſt in eo operam ponere, ut incomptum mendiſque ſcatens Epitaphium inſtau-

a *De Die Natali Cap.* III. Vide notas perpetuas ad hunc locum edit. Lugd. Batav. 1743. De Geniis nihil diſputo. Adeat qui volet Madriſium *Lezione ſopra i Genj. Miſcellanea di varie operette.* (*Tom.* VII. *Venezia* 1743.). Bruniſch. in compendio Antiquitatum Graecarum (*Cap.* XVII. §. II. *Francofurti* 1745.) de Genio Singulorum hominum tutelari conſulendum ſcribit Wonna *Exercitat.* III. *Cap.* II. §. *de Geniis*: nonnihil etiam habet Huetius in Diſſertatione ad illuſtrationem *Gad & Meni*, inter *Huetiana où Penſees diverſes. Paris* 1722.

b Accerſamus huc ea teſtimonia, quae noſtri Marmoris phraſin ſine ulla dubitatione confirmant. Seneca Epiſt. XLV. *Sacer intra nos* SPIRITUS SEDET *malorum bonorumque noſtrorum obſervator & cuſtos*. Eodem collineant, Menander Comicus apud Ammianum Marcellinum *lib.* XXI. *cap.* XIV., dum Numen ejuſmodi μυσταγωγὸν βίȣ *vitae arcanum ductorem* vocat, & Arrianus *in Epict. lib.* I. *cap.* XIV., qui ἐπίτροπον *tutorem* appellat. Attamen non ex alio quam divinarum Scripturarum fonte ideas illas de Geniis hominum cuſtodibus hauſerunt.

c Obſcuriſſima Platonis hac in re dogmata legere eſt in *Eutyphrone*, in *Th aeto*, in *Phaedro*, in *Theage*, in *Euthydemo* &c. Conſule etiam Johannem Clodium Diſſert. *de Spiritibus Familiaribus Vitebergae* 1678. Plato equidem tamquam hujus opinionis auctor & magiſter communiter habetur: memini tamen me legiſſe Plutarchum περὶ Ἐυθυμίας *de animi tranquillitate*, qui Empedoclem in hac iſta αἱρέσει fuiſſe ſcribit, eumque velut principem laudat. Cetera de Genio ſecundum Platonicorum ſententiam praeſto habes in Acherontico Joh. Bapt. Paterii, magnum in Repb. litteraria nomen. *Cap.* VII. *Florentiae* 1744.

inſtaurarem, & graeco nitori reſtituerem. Haec meditanti nihil opportunius poterat accidiſſe. Ferrariae quum eſſem anno mox elapſo, diligenter evolvere inſtitui Mſs. Codices, quos Angelus M. Peveratus Ordinis mei alumnus, pro ſuo in politiores diſciplinas ſtudio ac amore Bibliothecae Teatinorum intulerat. Praeter alios ad rem antiquariam ſpectantes, in manus venit Codex Cartaceus *Veterum Epigrammatων* manu *Martii Mileſii Sarrazani* [a] exſcriptorum, atque in illo hanc ipſam comperj inſcriptionem paullulum quidem incorrectam; ſed verborum permutationes, quas Sarrazanus intromittit, facem miniſtrant, lucemque afferunt quamdam epigrammatis rectius interpretandi. Primo itaque Mileſiana adverſaria habent ΕΞ ΕΡΓΩΝ pro ΕΝΕΡΓΟΝ; deinde ΕΠΙ, ut Busbequius, non ΕΤΙ, ut Gruterus; praeterea non ΧΑΡΙΤΑΣ, ſed ΧΑΡΜΙΑΣ, quae omnia ſive ille ex autographo deſumpſerit, ſive pro ingenio immutaverit, procul dubio ad graecae linguae inſtitutionem, & ad veritatem ſunt accomodatiora. Valde etiam diſſentio a Grutero, qui quum in Busbequiano codice ΝΟΤΟΥ reperiſſet, duas abraſit litteras, ut in illius locum ſupponeret ΝΟΥ. Si marmor de ſtatu animae poſt mortem loquitur, nil vetat, quin *τȢ νότȢ* auſtralem mundi plagam ſignificet. Norunt omnes *Inſulas Fortunatas τὰς νήσȢς μακαρων*, in quibus Elyſium campum Homerus litterarum parens conſtituit, atque effinxit [b], in Oceano

C Meri-

a De Martio Mileſio Sarrazano nonnihil memorabo, ut ſua ſtet huic Codici exiſtimatio. Is Romae natus juriſprudentiae operam ſuam navavit, quam cum ſtudio humanitatis, & graecarum litterarum conjunxit. Ejus cura & recenſione prodiere *Opera Sancti Damaſi Papae*, quibus tanti Pontificis vitam adjecit; quamobrem laudatur a Jacobo a S. Carolo *in Bibliotheca Pontificia*, a Labbeo *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, a Guil. Caveo in *Saeculo Ariano*. Paucula admodum de eo Mandoſius in Bibliotheca Romana (*Tom.* I. *centur.* I. *num.* LI.). Diem obiit ſupremum dum Eccleſiae Catholicae adminiſtrandae praeeſſet Papa Vrbanus VIII. novus litterarum ac litteratorum Mecenas: quare mirari ſubit Leonem Allatium in libro *Apes Urbanae, ſive de Viris illuſtribus &c. Romae* 1633. de Sarrazano porſus ſiluiſſe. Sed multa in eo libro praetermiſſa noverat jam Albertus Fabricius qui nova adjectione locupletatum cenſuit recudendum Hamburgi. 1711. Nihilominus plura adhuc deſiderari legenti perſpicuum fiet.

b Ουδυσσέιας λ. Non ſum neſcius varias diſcrepanteſque eſſe Veterum ſententias de Elyſiis Elyſiorumque poſitione, quas fruſtra ac ſine cauſſa ſumerem percenſendas: portenta inſuper dixere, quae

Nec pueri credent, niſi, qui nondum aere lavantur.

Nonnulla etiam quaeſierunt ſubtiliter Voſſius, Marshamus, Bochartus. V. Fromontium *de l' Enfer Poetique*, *Hiſtoire de l' Academie Royal. Tom.* II. Origenes Porphyrius, Proclus, Coſmas allegorica omnino eſſe ajunt quae divinum illud ingenium Plato ſcripſit de *Inſulis Atlanthicis*; at Baudelotius vere eas extitiſſe, & Platonem non fabuloſe, ſed hiſtorice earum deſcriptionem proſequi demonſtrat. *Hiſtoire de l' Academie, Tom.* III.

Meridionali poſitas eſſe, & Antarticum Polum verſus navigandum iis, qui ad illas contendunt. Quid ſi auctor epigrammatis pro ipſis Beatorum Inſulis auſtralem oram, per hypallagen, ſcripſerit? Quid ſi hoc generali vocabulo ſit uſus, ne de earum poſitione quicquam definiret? cujus interpretationis ea probabilis ratio reddi poteſt, Plinium regiones *Auſtrales* appellare [a]. Quas ob res univerſam inſcriptionem, ſi fas eſt, ſic redintegro.




ΟΥΝΟΜΑ. ΣΟΙ. ΚΑΠΙΤΩΛΙΣ
ΘΕΟΣ. ΕΞ. ΕΡΓΩΝ. ΕΠΙ. ΕΠΕΤΑΙ
ΠΑΡΕΧΩΝ. ΤΑΣ. ΝΟΤΟΥ. ΧΑΡΜΙΑΣ
ΦΑΙΝΙΠΠΟΣ. ΚΑΙ. ΚΑΠΙΤΩΝ. ΚΑΙ. ΜΑΡΚΕΛΛΟΣ
ΠΑΙΔΕΣ. ΟΡΦΑΝΟΙ. ΟΔΥΡΟΜΕΝΟΙ
ΓΛΥΚΥΤΑΤΗ. ΜΝΗΜΗΣ. ΧΑΡΙΝ.

Nomen. tibi. (eſt) *Capitolis. Deus* (tuus tutor) *ex. difficultatibus.* (vitae Te abeuntem) *juxta. ſequitur. praebens* (modo) *auſtri. Gaudia. Phaenippus. & . Capiton. & . Marcellus. filii. orbi. lugentes. dulciſſimae. memoriae. cauſſa.* (Matri poſuerunt.) Nunc ex eo colligere potes Phaenippum, Capitonem, & Marcellum vere lamentari & brachia attollere magnae querimoniae cauſſa; nimirum conqueruntur Matrem e vivis, morte fortaſſe praematura, exceſſiſſe: nihilominus ex moerore veluti recreantur, illud animo reputantes eam migraſſe ab hac vita, quae vel ab ipſis Ethnicis ob perturbationes, ob aegritudines, hominumque, quibus cum degimus, malitiam, nunc Pelago, nunc Carceri comparatur [b], multiſque laboribus affecta dicitur. Eſt etiam id, quod luctum filiorum leniat, atque permulceat Genium tutelarem feliciter deduxiſſe deſideratiſſimam Capitolidem

. . . . ad amoena vireta
Fortunatorum nemorum, ſedeſque beatas.

Quoniam vero coepi jam hoc Monumentum cumulatius interpretari quam a Te poſtulatum eſt, ſummatim breviterque dicam

a *Hiſt. Nat. lib.* II. *Cap.* IX.

b V. Stobaeum *Serm.* CIV. LXIX. LXXXII.

cam de ejuſdem Iconiſmo, & de Inſcriptione; ita praetermiſſa pars nulla erit. Demetrio jam jam morituro uxor vel filia ſigna doloris vultu oſtendens, arrepta ejus dextera, ſupremum dicit vale; quam amoris & fidelitatis ſignificationem, extremo vitae die, praetermittere nefas habebatur; unde Andromache, quia occaſio iſtud officium Hectori praeſtandi oblata non eſt, in hunc modum lamentatur:

Οὐ γάρ μοι θνήσκων λεχέων ἐκ χεῖρας ὄρεξας.

Non enim mihi moriens e lectis manus porrexiſti[a].

In quo illud etiam notandum mihi videtur ritum hunc apprehendendi morientis manum frequenter in graecis, perraro in romanis ſepulcrorum anaglyptis adinveniri. Extat tamen apud Boiſſardum[b] marmor latine loquens, in quo Vir & Mulier, copulatis

pulatis

a *In Helena*. Summae etiam poſt mortem fidelitatis exemplum eſt in venuſtiſſimo Epigrammate Muſei Tuſculani E. C. Paſſionei, in quo quia dictionis elegantiam, ſepulcrorum differentiam, funeriſque rationem animadverti, hic cenſui apponendum.

DIS MANIB.
DOMESTICO . QVI . VIXIT . ANN. XVI.

HOC . MIHI . NOSTER . ERVS . SACRAVIT
INANE . SEPVLCRVM . VILLAE TECTA SVAE
PROPTER VT ASPICEREM VTQVE SVIS
MANIBVS FLORES . MIHI . VINAQVE
SAEPE FVNDERET . ET . LACRIMAM . QVOD
MIHI . PLVRIS . ERIT . NOSTROS . NAM. CINERES
POLLENTIA . SAEVA . SVBEGIT EST . ET IBI
TVMVLVS . NOMEN . ET ARA MIHI NEC
TAMEN AVT ILLISVPER CRVDELIA BVSTA (Forſitan *illic ſum*)
AVT . ISTAS . SEDES NOSTRA SVBIT
ANIMA . SED . PETAT . ASVRIOS
PETAT . ILLE LICEBIT . HIBEROS . PER
MARE PER . TERRAS . SVBSEQVITVR DOMINVM

M. CAERELLIVS
SMARAGDIANVS . FECIT.

b *Antiquitat. Roman. Tom.* III. *num.* XXIX.

pulatis invicem dexteris manibus , ſe ſe moeſtiter reſpiciunt; eſtque infelix genitor , qui in ſupremo filiae ſuae morientis digreſſu , contra votum , abeundi ei poteſtatem facit , quod adjecta inſcriptio admonet .

HAVE . HAVE
EROTION
ET . VALE
ETERNOM *ſic*
C. CESTIVS . FILIAE
P. C.

Huic jungi copularique poteſt aliud ex antiquitatibus Mediolanenſibus [a] , ubi Sex. Magius Libert. Sex. Magium Turpium Praefectum Fabrorum , & Patronum ſuum , cui commune ſepulcrum Teſtamento paraverat , apprehenſa ejuſdem manu , extrema moeſtaque ſalutatione , ſalvere jubet .

Quid jam de breviuſculo hoc Titulo : ΔΗΜΗΤΡΙΟΣ . ΤΗΤΟΥ . ΧΗΣΤΕ . ΧΑΙΡΕ . *Demetrius Teti* (Filius) . *Bone . ſalve* [b] ? Pecu-

a Grazioli *de Praeclaris Mediolani Aedificiis . ibi* 1735.

b Venetiis in Muſeo Grimano Inſcriptio adpoſita tabulae marmoreae referenti hominem barbatum & κορυνηφόρον ſic habet ΑΡΤΕΜΑΣ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ ΜΕΙΛΗΣΙΟΣ. *Artemas Demetrii Filius Mileſius* : num Demetrii noſtri gentilis , ignoro; utrumque certe marmor ex Peloponneſo advectum . At *Demetrii* nomen quam ſepae occurrat in Graecis Marmoribus norunt qui Macedoniam , Theſſaliam , Achajam peragrarunt admirandae vetuſtatis reliquias viſuri —— Cl. Mattheus Aegyptius dum Pariſiis eſſet , & hominis cujuſdam litterati Bibliotheca auctione conſtituta divenderetur , emit codicem , in cujus fronte haec ſcripta ſunt . *Inſcriptions trevuees en Attenes , Lepſine , Megare & autres lieux* . Quatuor epigrammata advocabo ex hoc codice , quem mihi Neapoli legendum commodavit vir doctus B. Dominicus Ronca , cui Aegyptius MSS. omnes ſupremis tabulis legaverat .

1

ΔΗΜΗΤΡΙΟΣ	*Demetrius*
ΑΡΙΣΤΩΝΟΣ	*Ariſtonis. F*
ΑΛΘΑΛΙΔΗ	*Althalidae* .

2

ΔΕΚΜΟΣ	*Decmus*
ΛΕΥΚΙΟΥ	*Leuci . F.*
ΜΕΛΙΤΕΥΣ	*Meliteus*
ΔΗΜΗΤΡΙΟΣ	*Demetrius* .

3

ΝΙΚΟΚΛΗΣ	*Nicocles*
ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ	*Demetrii . F.*
ΧΟΛΛΕΙΔΗΣ	*Chollides* .

4

ΟΝΑΣΙΚΛΕΙΑ	*Onaſiclea*
ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ	*Demetrii*
ΑΥΡΙΔΟΥ	*Auridii* .
ΘΥΓΑΤΗΡ	*Filia* .

Ut

Peculiare id graecis ut praeter formulas, *Have*, *ſalve*, *vale* &c. homines e numero vivorum exturbatos *Bonos* appellarent. Sive vitam cum morte praeclara commutaſſent, ſive eam turpi fato amiſiſſent, curabant, ut honeſta de illis ad poſteros fama manaret. Sequor autem in dicendo Scipionem Maffeium magnum Italiae decus & lumen, qui ad *Tab.* III. *num.* I. *Muſei Veronenſis* haec adnotat. *In ſepulcralibus* χρήστος *occurrit ſaepiſſime. Theophraſtus in* Περιεργία *ejuſmodi characteris hominem in funereis titulis numquam omittere illud elogium monet* ὅτι οὗτοι πάντες χρηστοὶ ἦσαν [a]. Sed, quod uſuvenit, ſcribendi ratio non ubique eadem; nam modo χρήστε, modo χρέστη legitur. Vetus lapis, quem mihi Venetiis degenti oſtendit Franciſcus Griſellinius nunc Vindobonam ad Naturae, rerumque naturalium Hiſtoriam excolendam a Caeſare accitus, ita habet.

ΜΗΝΟΔΟΤΙ
ΧΡΕΣΤΗ ΧΑΙΡΕ

Nunc quia ſcribendo incidi in hunc locum, fieri minime poteſt quin ſubiraſcar clariſſimo ceteroquin Joanni Bouhierio Divionenſis Senatus Praeſidi, qui occaſione hujus formulae χρήστε χαῖρε &c. acerbe, & contumelioſe in Italum ſcriptorem invehitur. Eſt is Johannes Aſtorius Venetus, qui in explicatione vetuſtiſſimi monumenti Alcmanis Poetae Laconis edita primum in libro *La Galleria di Minerva* [b], recuſa deinde in Novo Sallengri Theſauro [c], hanc quoque expendit Inſcriptionem ΔΙΟΔΩΡΑ. ΧΡΗΣΤΕ. ΧΑΙΡΕ. ΚΑΙ. ΣΥΣΤΕ; eamque latine ſic vertit: *Diodora*. *Bona*. *Vale*. *&*. *Tace*. Ita autem ſugillat illum Bouherius [d]: *je ne vous le cite, que pour vous divertir d' une loudre mepriſe de cet Italien. Explicant cette inſcription du Recueil de Gruter, qu' il lit d' ailleurs aſſez mal*, ΔΙΟΔΩΡΑ &c. vale, & tace, *comme s' il y avoit* ΚΑΙ ΣΥΓΑ, *comme ſi les morts avoient beſoin d' e-*

tre

Ut autem, ſuperis bene juvantibus Chriſtiana Religio Graeciam pervaſit, fuere hujus nominis viri fortiſſimi, qui per martyrium inclaruerunt, de quibus in Graecorum Meneis mentio perhonorifica. Adeunda *Septem Dormientium Hiſtoria ex veteribus monimentis illuſtrata* abs nobili & erudito Victorio. *Cap.* VIII, *&* IX. *Romae* 1741.

a Graecorum pietatem aliquando imitati ſunt Romani; hinc in eorum marmoribus: HAVE. HERMES. HOMO BONE: VRSE. HOMO. OPTIME. VALE. Gruterus CCCCLXXIIII. I. MCLII. 9.

b *Tom.* II. Quod ΔΟΔΩΡΑ pro ΔΙΟΔΩΡΑ legatur, non Aſtorio profecto, ſed Typothetae vitio tribuendum.

c *Nov. Theſaur. Antiquitat. Tom.* II.

d *Explication de quelques marbres antiques: a Aix.* 1733.

tre exhortez a ſe taire. Il n' a pas pris garde, que ce la devoit etre entendu comme ſi l' Inſcription portoit κ̓ σύγε χαῖρε ave & Tu : *ainſi que dans une latine de Gruter* (819. 4.) , *ou bien ſimplement* , & Tu , *ſuivant les exemples citees par Fabretti*. (669. 670.) Non id mihi ſane propoſitum , ut ſapienti quadam exſcuſatione Aſtorii verſionem defendam , neque eum omni culpa libero , ſed accuſatorem nimis vehementem ac moleſtum Bouhierium eſſe contendo , nam nec juſtae & probabiles cauſſae , quibus Italum ſcriptorem criminatur , nec verior ipſius interpretatio.

Primo itaque in Aſtorio carpit prave hoc litteratum marmor legiſſe , ac veluti deformaſſe. Sed nimis ad judicium praeceps eſt homo Gallus , qui nonniſi apographum inſcriptionis in Grutero vidit. Autographum ſemel iterumque Venetiis in Aedibus Grimanorum legimus , atque in eo extremae litterae heae ſunt ΣΥΣΤΕ . . . . . , quas tamen nonnullae aliae quomdam comitabantur ; ibi enim eraſum ac detritum Marmor non obſcure deprehendimus , utque auguror conjectura , inſcriptio forſitan integrum verbum ΣΥΣΤΕΡΓΕ praeſeferebat , videlicet *Vale. &. adquieſce* , quod ex verbo ςέργω (addita elegantis πλεόνασματος gratia particula σὺ) tamquam ex themate percommode derivatur , ac ſi heres mortuum alloquens dicat :

Oſſa quieta precor tuta requieſcite in urna.

Neque noſtra divinatio exemplis vacat , ut illud L. AGGE. FILI. BENE. QVIESCAS. [a]. Pluribus ne erit opus in re adeo aperta & cognitu perfacili ? Eſt etiam in litteratis marmoribus emendandis habenda diligens ratio totius ſpatii , & quot litteris ſit locus perſpiciendum. Sane hoc noſtrum emendationem a me prolatam adamuſſim capit.

ΔΙΟΔΩΡΑ
ΧΡΗΣΤΕ ΧΑΙΡΕ
ΚΑΙ ΣΥΣΤΕΡΓΕ

Ait

a V. Fleetwood *Sylloge Antiquarum Inſcriptionum Londini* 1691. CCXXXVI. 3. CCLXXXXV. I. ; CCCXI. I.

Ait praeterea Bouhierius ineptum eſſe mortuos adhortari ut taceant. Silentes umbras mortuos eſſe, quis neget, vel addubitet? At quid ineptius, ſi accuſatorie res agitur, mortuis imprecari ut moriantur? attamen id legitur apud Gruterum[a]: quae tenaci ira, & quadam, etiam poſt fata, ulciſcendi cupiditate Ethnici ſepulcris inſcribebant. Quid denique ſi Diodora inſtar Caſſiae Feſtae, de qua Fabrettus, (*Cap.* III. *num.* IX.) nimium loquax & garrula hac objurgatione notetur? igitur a vero abeſt longiſſime Bouhierii explicatio, omneſque ipſius in Aſtorium criminationes commentitiae, futileſque.

Sed ut ad propoſitum redeat oratio, habes jam ODDE AMPLISSIME, quodnam ſit noſtrum de hoc anaglypho judicium; ac quamvis nunc moleſtiſſimis occupationibus diſtenti, nunc incommoda valetudine impediti, vix ſatis otium ſtudio ſuppeditare poſſemus, tamen id ipſum, quod nobis datum eſt otii, libenter ad haec ſcribenda contulimus. Tibi roganti negare vix poteram quod rogabas; nam neque auctoritate quiſquam apud me plus valere poteſt, neque voluntate. Perge, ut agis, haec etiam ſtudia excolere: circumſtant Te ſumma exempla, quae Te obliviſci hujus laudis domeſticae non ſinant. Muſeum appello, teſtemque evoco Peruſiae Auguſtae in aedibus ſuburbanis a majoribus tuis inſtructum, in quo omnia eruditae vetuſtatis monumenta.

Gemmas, Marmor, Ebur, Tyrrena ſigilla, Tabellas,

ingenti ſane ſumptu comparata contemplatus ſum. Quod ne quis inanis praeconii cauſſa dictum putet, proferam hic aliquot litterata marmora, quae ex eo Cimeliarchio exſcripſi, quum ſuperiori menſe Octobri ad eam Vrbem divertiſſem.

CAETV-

a DCCCCXXVIII. II. *Creſco. Percrepas. Gaudeo.* *Eerplor as. Invide* - MORERE.

(1)

CAETVLICAE
HAVE
D. M.
CN. POSTVMI
CAETVLICI. QVI
VIX. ANN. XIII. M
II. D. VII. PATER. ET
MATER. ET. M.
CALIDIVS. SATV
RNINVS. AVVN
CVL. FECERVNT.

(2)

M. POMPONIVS
M. L. TERTIVS.

(3)

D. M.
MVNATIAE
APOLAVSI
MVNATIVS
HYPNVS
CONIVG. KARIS.

(4) D. M. *ſic*

IVLIA. HYGIA. SEVIVA
COMPARAVIT. SIBI
ET. LIB. LIBERTABVS
QVE. POSTERIS. EORVM.

(5) D. M.

ASCLEPIAE. FIL.
ASCLEPIADES
PATER. ET
HERMOCENI
FRATRIS. VXOR. FECIT.

(6) D. M.

IVLIO. IVLIA
NO. BENEME
RENTI. QVI. VIX
IT. ANNIS. XIIII.
FECIT. T. FLAVIVS
VERVS. FILIO. SVO.

(7) D. M.

T. AVIDIO. PRIMITIVO
AVIDIA. ACTE. COIV
GI. OPTIMO. BENE
MERENTI. CVM. QVÁ
VIXIT. ANNIS. XVII. M. VIIII.

(8)

Q. DASIMIVS. ANTIOCHVS
FECIT. SIBI. ET
DASIMIAE. EX SOCI —ENI *ſic*
CONIVGI. SVAE. CARISSI. ET
LAETAE. LIBERTAE. ET
FVTVRAE. LIBERTAE. ET
LIBERTIS. LIBERTABVSQ
POSTERISQVE. EORVM
IN. FRONTE. P. IX. IN. AGRO. P. X
AT. HOC. M. V. A. N. L.

ET. Q. DASIMIO. FELICI. LIB. POSTERISQVE. EJVS. HOC. MONVMENTVM. HEREDEM. NON. SEQVITVR. CVI. DOLVS. MALVS. ABESTO.

At

At quandoquidem ea mihi oblata eſt occaſio, ut de tuorum Peruſiatum Antiquitatibus verba facerem, optimum duco in publicam lucem extrahere ſigilla aliquot necdum ab aliis edita, quae proſtant in lectiſſimo ampliſſimoque Muſeo Diamantis Montemelinii, hominis, ut noſti, equeſtri loco nati, & humaniſſimi.

1
AVR. ANT
ONINVS.

2
SAB. AV
RELIANI


3
PHILE
TI. G. P.

4
GNOMONI

5
SAGITTI

6
VTE 

7
CAVILLI
HILARI



8
L. POMP.
PERVSIN.

9
NAVC
ELLI

10
DRACONIS
Q. P. TRVTEDI. PI.



11
C. HIRRP.
ROTIGENIS.

12
AGILIS. S. C.
VAR. PROCESS.

13
OLIMPI
A. VIVAS 

14
SCAEVA
LEG. XII.
PR. PIL.

Teſſera


15
CL. AN
ATOLI

litteris quadratis

16
Pondus litteris argenteis

Γ. Β.
ΙΩΑΝΝΗ

Multa mihi profecto ſuppeterent addenda ſi de publica Peruſiae Bibliotheca tecum ſermonem conferre aggrederer, ſed nolo in re quamvis non aliena multus videri. Erit fortaſſe aliud tempus in quo percenſeam Codices praeſtantiores Graecos, Latinos, Italicos, quos maxima cum animi voluptate inibi perſpexi diligenterque expendi. Nunc quamquam ſumma operi manus imponenda, non expoſtulabis, ut ſpero, me praeter modum verboſiorem eſſe, ſeraque coronide longum, ſi ex Muſeo Grimano, de quo mentio illata eſt, alterum Anaglyphum promam tua meditatione, meaque commentatione digniſſimum.



Ingenua adoleſcentula pernobilis , eximio ſane artificio , in eo conſpicitur nomine EPICTESIS ONASI CYTHERAEI FILIA ; bene compta , togata , tutulata , ſed vultu modeſta , & pudibunda , ut nihil ſupra . Quid vero Ancillula juxta illam Calathiſcum manu gerens ?

. . . . percipe porro
Quid dubitem , & quae nunc animo ſententia ſurgat .

Epictefin innuptam ſupremum obiiſſe diem ſuſpicor eo ſchemate ſignificari . Quod unum ſi tibi planius exponi voles , paullo altius repetenda mihi res eſt . Virgines a Graecis imprimis in Dianae tutela eſſe credebantur , quam iccirco Callimachus ſic loquentem inducit .

Παῖς ἔτι κουρίζουσα , τάδε προσέειπε γονῆα ,
Δός μοὶ παρθενίην αἰώνιον , ἄππα , φυλάσσειν .

Puella adhuc adoleſcens haec verba ad patrem protulit
Da mihi, Tata, Virginitatem in aeternum conſervare [a].

Quare adoleſcentulae decem annos natae Dianae Brauroniae conſecrabantur, diemque feſtum in ejus honorem celebrabant, qui Graecis Βραυρῶνεια, vel ἀρκτεία dicebatur [b]. Habeo id mihi documento, quod eſt apud Julium Pollucem in Onomaſtico [c]. Ἀρκτεύεσθαι δὲ τὰς παρθένυς ἔλεγον ὁ δῆμος ἀττικός. Scilicet *ἀρκτεύεσθαι virgines dicebat populus Athenienſis*. At quo pertinet obſcurum illud verbum quod vix latinitate donari poteſt? conjector ſit, & interpres Ludovicus Caelius Rhodiginus, qui ita ſcribit [d]. *Id verbum ſignat Dianae, priuſquam tempus appetat Nuptiarum, Virgines conſecrari, initiarive: quod Lyſias ſcribit in oratione pro Phrynichi filia, ſi tamen ex ejus illa prodiit officina: decreto namque ſancitum Athenienſium erat, ne qua viro puella traderetur εἰ μὴ ἀρκτεύσειε τῃ θεῷ, ideſt, niſi ſacra obiiſſet Dianae. Quod menſe Januario fieri conſueviſſe indicat Libanius in oratione, quam de Dianae laudibus dixit*. Verum quum adoleſcentulae in matrimonium collocari averent, Dianam ſupplicibus orabant verbis, ejuſque opem implorabant, vel quia nuptiarum praeſidem eſſe rebantur, vel quia (propterea quod a connubio abhorreret) Deae veniam ſollicitare decebat. In quo illud moris erat, ut Caniſtros earum rerum, quas acu elaboraſſent, Dianae conſecrarent, atque ita ſignificarent ſe prioris vitae virginitatiſque pertaeſas, cupere exautorari [e]; ad quem morem alludit Theocritus [f].

Ηνθ᾽ ἁ τῶ ὑβȣ́λοιο κανοφόρος ἄμμιν Ἀναξὼ
Ἄλσος ἐπ᾽ Ἀρτέμιδος . . . .
Venit ad nos Anaxo Eubuli Filia caniſtrum gerens
Ad lucum Dianae . . . .

Ad noſtrum Anaglyphum modo reverto. Epictesis igitur matura viro, dum Dianam pro nuptiis obſecrabat, Fanumque

ejus,

a *In Hym. Dianae*. Vide ad hunc obſervationes eruditiis. Spanhemii *Edit. Ultraiecti* 1697. *Tom.* 1.

b V. Meurſium *Graecia Feriata*, Fazzoldum *Graecorum* ΙΕΡΟΛΟΓΙΑ, Caſtellanum ΕΟΡΤΟΛΟΓΙΟΝ, ſive *De Feſtis Graecorum*.

c *Lib*. v. *Cap*. XII. περὶ διαφόρων θηρίων.

d *Lect. Antiq. lib*. XXVI. *cap*. XIX.

e Conſule Alexandrum Panelium *De Ciſtophoris* §. III. *Lugduni* 1734.

f *Idyll*. II. *v*. 66.

ejus, orandi cauſſa, adire meditabatur, & Ciſtam eidem, velut donarium nuncupandam famulae miniſterio deferre parabat, immatura morte abſumpta, vita exceſſit; cujus rei ne inſcia eſſet poſteritas, memoriam hoc ſimulacro exprimi repraeſentarique voluit ONASVS CYTHERAEVS Pater contra votum. Atque ex hoc uno, diſces quanta fuerit Graecorum diligentia in exornandis aptiſſimarum rerum deſcriptione ſuorum ſepulcris, quae ob eam rem praeſtantia, ac aeſtimatione latinis plerumque anteſtant. Quod ſi animo inducas eo ſimulacro repraeſentari potius Sacerdotem aliquam [a], ſive Dianae, ſive Cereris, aut Iſidis, vel alterius cujuſvis Numinis, ex earum collegio, quas Graeci τὰς κανηφόρας dicebant, Plautus latine *Ciſtellatrices*, non repugnanter accipiam. Ac primo de Epicteſeos Sacerdotio fortaſſe monet capillorum in conum congeſtus, ſive Tutulus, de quo Feſtus: *Tutulum vocari ajunt Flaminicarum capitis ornamentum, quod fiat vitta purpurea innexa crinibus & extructum in altitudinem* [b]. Accedit veſtimenti genus, nempe

Ad talos Toga demiſſa, & circumdata Palla.

Togam autem maxime praetextam eam veſtem eſſe, quae, veteri more, in ſacerdotiis adhiberetur, palam eſt ex Livio, Lampridio, Ateneo, atque Appiano [c]. Ceterum, quia gravis hic crinium & veſtimentorum apparatus tantam concinnitatem modeſtiamque praeſeferens, non modo Flaminicam decebat, ſed pudicam quamcumque Virginem, ut ex illo Ovidii, dum innuptas puellas alloquitur.

Scripſi-

a Feminas etiam Sacerdotium, & rerum ſacrarum curationem obtinuiſſe teſtantur non modo Dio, Velleius, Tacitus, Ovidius, ſed & inſcriptiones complures. Liviam & Agrippinam ex Flaminicarum numero fuiſſe nulli obſcurum. Pitiſcus in Lexico, nullo nixus monumento aut teſte, Flaminicis accenſet *Puellas Fauſtinianas & Mammaeanas*, eaſque ſacerdotio functas arbitratur. Sed opere in longo fas eſt obrepere ſomnum. Quo conſilio fuerint Antoninus Pius, & Severus Alexander, dum *Puellas alimentarias* in honorem Fauſtinae, & Mammaeae instituerunt, cumulatiſſime dixit Maurus Sartius vir oppido perdoctus, *De antiqua Picentum Vrbe Cupra Montana. Piſauri* 1748. Ac ne illud quidem hoc loco ſilentio praetereundum videretur, quae fuerint in Graecorum Sacris Virgines κανήφοροι, at haec ingenioſe & diligenter diſputata ſunt a Cl. Johanne Lamio. *Diſſertazione ſopra le Ceſte miſtiche. Accadem. Corton. Tom.* I.

b *Lib.* III. *de Verb. Sign.*

c *Liv. lib.* XXXIV. *Lamprid. in Alex. Sever. Athen. Deipnoſoph.* XIV. *Appianus de Bel. Civ.* IV.

Scripſimus haec illis , quarum nec vitta pudicos
Contingit crines , nec Stola longa pedes [a] ;

libentius in priori ſententia manerem , Epictesin in hoc cenotaphio , ancilla Canephoria comitante , Fabrum marmorarium exſcalpſiſſe , non quod ullo ſacerdotio functa ſit , ſed quod intempeſtivam oppetiit mortem , antequam in matrimonium locaretur . Verum ſi t modus aliquis , & finis diſputationi . Amicos ſalvere jube : Vale , & me ama ; quod ut facias ita peto , ut neque majore ſtudio , magiſve ex animo petere poſſim.

ROMAE , Ex Aedibus Quirinalibus Teatinorum XII. Kal. Februarias cIↃIↃCCLI.

E X P L I C I T.

IM-

a *De Ponto lib.* III. *Eleg.* III.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſs. Pat. Mag. Sac. Pal. Apoſt.

F. M. de Rubeis Patriarcha Conſtantinopolitanus Viceſg.

IMPRIMATUR,

Fr. Joſeph Auguſtinus Orſi Sac. Pal. Apoſt. Mag. Ord. Prædicatorum.

EXCUDEBANT ROMAE
NICOLAVS ET MARCVS PALEARINI
BIBLIOPOLAE ET TYPOGRAPHI ROMANI
AD THEATRVM POMPEII
ANNO CIↃ. IↃ. CC. LI. MENSE MAIO
SEDENTE
BENEDICTO XIV. PONT. OPT. MAX.
PONTIFICATVS EIVS
ANNO XII.